



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa  
Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones  
Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

II. Quia omnia dona quæ omnes habent Cœlites accepit uberiùs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Et Rupert. lib. 6. in cantic. ita illam affatur. Quando Spiritus S. in te super-  
venit, & Filium Virgo conceperisti, tunc tu, & ex tunc pulchra facta es pulchri-  
dine Divinâ. Hailgrinus in cap. 7. Cant. citatus à Nayan. in elect. lib. 4. n. 425. Non  
minùs ait, meruit fundendo lac de uberibus suis ad Filij nutrimentum, quām Mar-  
tyres meruerunt fundendo sanguinem suum in Martyrio. Ex quo patet quantopere  
gratiam augebat per opera, etiam per illa, quæ alias per se non sunt meritoria,

Præclarè hanc Virginis sanctitatem videtur mihi figurasse Arca Noë, quæ utiq;  
juxta plerosque Patres hanc Virgem notabat Gen. 7. Ferebatur super aquas. Apoc. 17.  
*Aqua populi sunt.* Itaque super sanctitatem populorum ferebatur. Christ. Iesu  
serm. de B. Virg. ita eidem loquitur. Gratia plena es, quia tecum est universus gratia  
thesaurus. Et S. Athanasius explicatiū orat. de S. Deip. Spiritus S. in Virginem de-  
scendit, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratia, ut in omni-  
bus grata esset, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod ab impletione  
Spiritus S. omnibus gratiis abundaret.

Unde juxta Autorem imperfecti operis in Matth. S. Joseph maluisset credere sine  
viro mulierem concipere posse quām Mariam peccavisse. Nimurum ut ait Petrus  
Damii: serm. de Assumpt: Quid sanctitatis? quid justitiae? quid Religionis? & per-  
fectionis singularis huic Virgini deesse potuit, quæ totius gloriae Divinae Charismata  
plena fuit? in Cathechismo Græcano appellatur Deiparens intaminata, impolluta,  
immaculatissima, sanctissima, illibatissima, reverendissima.

**2. Quia omnia dona quæ omnes habent Cælestes,  
accepit uberioris.**

Virginem S. alloquitur Idiot. cap. 2. contempn. Non deficit tibi ò Virgo, puri-  
tas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus A-  
postolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia  
& humilitas Virginum: in summa in nullo genere vacasti virtutum ò Virgo plus  
quām Beata. Quodcumque donum alieui Sanctorum unquam datum fuit, tibi non  
fuit negatum, sed omnium sanctorum Privilegia omnia habes, ia te congeta. S. Bo-  
navent. Spec. cap. 3. Omnia flumina intrant in Mare, dum omnia charismata intrant  
in Mariam. Flumen enim gratiae Angelorum intrat in Mariam, flumen Patriarcha-  
rum, & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiae Apostolorum intrat in Mari-  
am, flumen gratiae Martyrum intrat in Mariam, flumen denique Confessorum, Vir-  
ginum & Doctorum intrat in Mariam: Omnia flumina intrant in Mariam juxta  
illud Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare.*

S. id

S. id prolequitur Thomas Archiep. Valentinus conc. 3. de Nativit. Virg. Sicut in homine collecta est omnis Creatura, & ideo Microcosmus est homo, sic in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio: Unde Virgo Microcosmus, (id est parvus mundus) Ecclesiae dici potest. Quidquid in quolibet Sanctorum fuit illustre, in illa fuit, in illa patientia Job, mansuetudo Moysis, fides Abrahæ, castitas Joseph, humilitas David, Salomonis sapientia, zelus Eliæ. Idquæ ita ut juxta Richard. i. S. Laurentio lib. 2. de laud. V. cap. 2. dici posse. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, id est quemlibet Sanctum; quoniam omne aurum in comparatione ejus est arena, exigua, id est omnis sanctus respectu Mariæ est sicut arena respectu auri.

Amplius dixit S. Hieron. vel alius apud eum Serm. de Assumpt. Sicut in comparatione Domini nemo bonus est, ita in comparatione Matris Dei nulla res invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur. S. Bonav. cap. 2. spec. juxta illud proverb. 31. Multe filie congregaverunt divitias, tu sola Virgo Supergressa es universas, si filias istas intelligamus animas sanctas, vel intelligentias Angelicas.

Quod ipsum videtur insinuasse constructio tabernaculi, ad quod exstрудens quisque afferebat, quod domi habebat optimum. Principes aurum, argentum nobiliores, purpuram fæminæ, coccinum &c. Jacobus Chrysostom. comment. in Magnificat. Nulla fuit data gratia alicui Creaturæ, quin fuerit data Virgini Maria. Accedat his S. Chrysost. serm. 145. Singulis se est gratia largita per partes, Mariæ verò simul se tota dedit gratiæ plenitudo. Quod ipsum dixit S. August. citat. in addit. Lyran: super psalmum ex libro de natura, & gratia. Cæteris quidem Sanctis per partes data est gratia, Mariæ autem se tota infudit plenitudo gratiæ.

Quam doctrinam confirmat ex S. Hieron. S. Antonin. parte 4. Summa tit. 15. cap. 6. Et S. Damaso. orat. 1. de dormit. Virg. addit. Dei Matris, & servorum Dei infinitum est discernere. Collaboravit autem Virgo S. huic sua Sanctitati, mortificationem corporis quotidiè à se exegit. Ambr. lib. 2. de Virg. Si quando reficiendi successisset voluntas cibus plerumque obvius qui mortem arceret, non delicias ministraret, dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit.

### 3. Quia impeccabilis.

Quod S. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 44. 69. sic deducit. Quia nec cessavit, nec potuit cessare à sanctitate; quia statim in utero sanctificata, ut nec venialiter unquam peccare potuerit. Angeli verò omnes potuerunt, quia aliqui defacti peccarunt. Creatura etiam cum justitia originali ut Bern. hom. 2. super Missus. Talem sibi debuit deligere, immo condere Matrem, qualis & se decere scierat, & sibi noverat placitum. Quis autem non perhorrescat dicere decuisse Matrem DEI originali maculâ fuisse inquinatum?